

ciei praedicatione, analogice vero ut multa ab uno dicantur? Id enim fatemur. Sed quod infert:<sup>86</sup> *Has enim scimus ipshominem et ipsequum addentes sensibilibus verbum (ipsum) non uti identitatem prorsus significant, sed excellentiam illorum ab his, nec sensibilibus verbum ipsum additur, sed illis, ut significet simpliciter vere, per se, incommixte, essentialiter.* Sophismata ergo haec sunt Aristotelis distorta ac perversa.

Libro sequenti capite 3. quod tantopere tot prioribus locis negaverat ideas esse, in hoc dubitanter negat:<sup>87</sup> *forte vero neque substantia sunt, etc.* Et capite 6.<sup>88</sup> *Quid ergo est, quod facit unum hominem, et cur unum et non multa veluti animal et bipes, praesertim si est, sicuti dicunt quidam, ipsum quid animal et ipsum bipes.* Imo hic homo est multa materia, forma, totum, partes neque potest unum ne cogitari quidem nedum nominari aut definiri, et si unum est unione et vinculo sanguinum, nervorum, musculorum, spirituum, unum est illud vero ipsanimal, vere est unum multis constans partibus, sed unum simplici unitate.

Ad ea, quae fine libri 7. habet, iam respondimus. Quae vero 5. Sapientiae capite 4. recenset, eadem prorsus sunt cum his, quae capite ultimo primi narraverat, quae cum ibi versaremur, falsa esse ostendimus. Quae vero non eadem de ideis et numeris commiscet nihil adversus Platонem, qui in hanc rem ne verbum quidem scripsit, faciunt. Ideoque sunt nobis omittenda.

Restat modo, ut ad ea respondeamus, quae Ethicis Nicomachiis libro 1. capite 6. disputatum vel a<sup>xxi</sup> patre vel a filio est. Ait ergo:<sup>89</sup> *Qui attulerunt opinionem hanc, non fecerunt ideas, in iis prius*

<sup>86</sup> ταύτας γὰρ ἵσμεν, αὐτοάνθρωπον καὶ αὐτοῖππον, προστιθέντες τοῖς αἰσθητοῖς τὸ ϕῆμα, τὸ αὐτό. [ARIST. Metaph. 1040b.33 – 34]

<sup>87</sup> ἵσως μὲν οὖν οὐδ' οὐσίαι εἰσίν [ARIST. Metaph. 1043b.21]

<sup>88</sup> τί οὖν ἐστὶν ὁ ποιεῖ ἐν τὸν ἄνθρωπον καὶ διὰ τί ἐν ἀλλ' οὐ πολλά, οἷον τὸ τε ζῶον καὶ τὸ δίπουν, ἄλλως τε {δὴ} καὶ εἰ ἐστιν, ὥσπερ φαστινες, αὐτό τι ζῶον καὶ αὐτὸ δίπουν; [ARIST. Metaph. 1045a.14 – 17]

<sup>89</sup> οἱ δὴ [δὲ] κομίσαντες τὴν δόξαν ταύτην, οὐκ ἐποίουν ἰδέας ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ ὑστερὸν ἔλεγον, διόπερ οὐδὲ τῶν ἀριθμῶν ἰδέαν κατεσκεύαζον [ARIST. E N 1096a.17 – 19]